

AD SENATVM COLONIENSEM

nobis elucidauerint, per pauci habentur. Inter hos tamē egregie hoc ipsum fecisse con-
 stat Dionysium, nostri ordinis Carthusiani virum eruditissimū, nec sanctitate minori
 conspicuum: qui præter alios penē innumeros quos edidit, libros, nullum ex Canonicis
 sacræ scripturæ libris prætermisit, quem suis non illustrari lucubrationibus, plerumq;
 quadruplici sensu, quod nemo ante ipsum præstitit, nempe literali, allegorico, tropolo-
 gico, & anagogico. Huic præterea id laudis accedit, tametsi nulli non caterorum sit
 quoque sua præ eminentia singularis, quod explanatio eius cum sit lucidissima, nec pa-
 rum solida, adeo tamē est nihilominus fecunda, vt nihil ad rem faciens, ab alijs dictū,
 prætermiserit. Vnde accidit vt adagy penē loco receptum sit, nempe: Qui Dionysium
 legit, nihil non legit. Itaq; nos omnem nauamus operam, nec corporis viribus, nec sum-
 ptuum impensis parcentes, quo nosos semper esurienti lectori cibos, eosq; cumprimis
 suauēs, ingeramus: idq; vel propterea tanto sedulius, quanto homines impij, ydemq; ab
 Ecclesia apostatæ & in fide reprobī, quotidie sacram scripturam perperam interpretæ-
 tari, eiusque sensum genuinum, quem Spiritus Sanctus loquitur, nobis abscondere, cor-
 rumperere, atq; mutare nituntur. Nostrum enim arbitror esse, contra hos virum produ-
 cere Dei Spiritu plenū, qui velut alter Dauid, non vnus Philistæi tantū, sed omniū
 etiā Allophylorum, de scriptura nobis exprobrantium, audeat valeatq; confutare,
 expugnare, ac confringere audaciam. Illi nanq; in ingeniorum suorum viribus astutiq;
 fallendi confidunt, vt potē superbi ac versipelles: qui cum vel nolunt vel nequeunt
 (iuxta Paulum) intellectum suum captinare in obsequium Christi, non possunt etiā
 spiritui veritatis quæ Ecclesia habet, se subdere, dum Christus nobis interim, qui eius
 veritati ac testimonijs nitimur, vt potē paruulis, humilibus atq; bonis cōsentientibus,
 dignatur ea quæ superbis hæreticis abscondit, reuelare. Nos enim eos duntaxat sequi-
 mur sacrarum scripturarū elucidatores, quorum vita casta & sancta, quorū eruditio
 Ecclesiæ cōsentanea, atq; ei spiritui veritatis, qui Ecclesiā regit ac docet in omnibus,
 est subiecta. Cuiusmodi hic vir erat Dionysius, dū viueret, Deo plenus: quod in eo test-
 antur vitæ sanctitas, cōtemplationū excessus, ac miraculorū gloria. Porrō illi cum
 sint virtutis diuifores, cōtemptores Ecclesiæ, rebelles potestati, in Deum quoq; ac in
 homines fide fragi, vt potē legum desertores, atq; suorū transgressores vtorum, & nē
 minimum quidem de spiritu habeant, audent tamē pro sua temeritate scripturam san-
 ctam tractare atq; hæses & impia dogmata, quæ olim ab Ecclesia magna sunt au-
 thoritate damnata, reuocare. Ab ijs felix tu Agrippina Colonia te hætenus seruasti,
 seruabisq; perpetuō (quod speramus) incorruptā, vt potē tot sanctissimis, tot doctissi-
 mis, tot denique clarissimis, sapientiss. & integerrimis viris referta. Nec est reuera
 vulgare hoc, quod laudi tuæ, ppter eā accedit præconiū, quod fermē sola inter reliquas
 ciuitates in fide cōstantissima, etiā eas quæ mutare videbatur, tua soliditate seruaris.
 Facis planē quod tuū est. Si quidē tuo more, vt olim semp, ita et hodiē fidei intemeratæ
 palmā tenes. Eā ob rē regio circumiacēs oīs, in te vnā ciuitatē hætenus spectat, para-
 ta tuū iudiciū seq; parata quocūq; tu applicueris, sese cōferre. Quid hac laude specio-
 sius? qd pclaris hoc honore? qd deniq; hac gloria venustius? Ad vnus ciuitatis iudi-
 cium, ad vnus Agrippinæ sententiā, Principes, ciuitates, regionesq; ampliss. p̄dere? Nec
 tamē id immerito: qppe cū in te sint Cōsules sapientissimi, integerrimus Magistratus,
 Senatus prudentiss. Academia celeberrima, frequētia cleri, qui honestate atq; mode-
 stia, q̄ alibi, viuūt maiori: ciues deniq; optimē Christiani, qui oēs nō aliter atque ad cō-

1. Cor. 10.

Ioann. 14.

16. 16.

Rom. 8.

Judas apo-

stolus.